vel minus secundum quantitatem orificii vasis. Et ~~facias in ipso per circuitum vel etc. foramina~~ suspende in uno quoque foramine baculum
filum unum grossum et forte. Et in capitibus filorum pone et liga
laminas plumbi cuiuslibet filum laminam unam. Et longitudo
cuiuslibet lamine sit longitudo duarum partium palmi unius. Et
latitudo cuiuslibet sit tercia pars palmi. Et spissitudo earum
sit sicut grossitudo digiti vel circa illud. Et suspende lami-
nas in vase longe ab aceto circa mensuram trium digitorum.
Deinde cooperi os vasis alio coopertorio. Et cooperiat os vasis
cum toto illo primo coopertorio perforato. Et stringe coopertorium bene
ne aer vel ventus ingrediatur. Et claude ostium domus ne ventus
ingrediatur in domum. Et dimitte sic decem diebus vel circa
hoc secundum quantitatem temporis. Et postea aufer coopertorium primum et
secundum perforatum. Et aufer laminas paulatim. Ita tu invenies
in laminis cerusam que declinat ad albedinem cum aliquo nigredine
in superficie lamine. Et tunc rade laminas paulatim undique per
se. Et postea pone eas in vase secundum modum predictum. Et di-
mitte eas sic fecisti prius. Et postea iterum aufer et rade. Et
ad unam cerusam simul. Et facias ita donec fere consumpte
sint lamine. Deinde pone ibi alias laminas novas. Et
fac ita sepe si vis multam cerusam facere. Et cave a fumo
vasis quia multum ledit cerebrum. Postmodum aut in [illegible] ac-
cipe quod collegisti et adunasti. Et pone totum in magna
pelvi. Et pone super eam aquam et lava. Et proice aquam quando
cerusa descenderit ad fundum pelvis. Et appone aliam aquam
et facias donec nigredo recedat et fiat alba. Et purgata a
superfluitatibus deinde facias ex ea magdaleones. Et pone
super lapidem marmoris ad solem et sine fumo. Et custodi-
as ipsam a vento fumo et pulvere et repone et serva. Ad comburendum cerusam

Tere ipsam et pone in vase fictili quadrato super pru-
nas. Et fac ignem desubtus donec combusta. Deinde
remove de igne et repone. Sed si vis ipsam assare melius
est quod ponas eam in patella sicca super ignem et agita ipsam
semper. Et quando videtur in colore aureus aufer ab igne
et dimitte infrigidari et repone. Et si vis ipsam abluere tere
ipsam in aqua sepe et proice aquam semper et ablua sic lavatur
storia auri et argenti quorum modus dicetur infra. Et il-
la est bona cerusa que est multum candida et partes eius sunt
densiores clare. Et quando tanges eam digito invenies partes eius
leves sine asperitate. Et quando tu frangis aliquantulum ex ea in
igne tuo quod frangitur est sic squame. Ad [illegible] blavum

Oportet ut habeas mortarium et pistellum de plumbo
Et ponas in mortario partem aceti. Et agita cum pistello
diu donec aquam incipiat denigrari et inspissari
deinde cola ipsum per pannum lineum. Et facias hoc ter
vel amplius. Et dimitte quod colatum est quousque descendat